



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

XX. Iac. Sadoletvs Episc. Carpent. August. Triuultio S.R.E. Cardinali S.P.D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

plurimum esse praesidij atque opis mihi constitutum arbitrari.
Vale. III. Nonas Martias, M. D. XXXII. Carpentoracii.

XX.

IAC. SADOLETUS EPISC. CARPENT.
Augusti Triulvio S. R. E. Cardinali S. P. D.

Nisi mihi accedere potest tua erga me benevolentia gratias, quae quidem quotidie magis apparet exiis, quae mea caelo dicit, aut facis. In quibus est patrocinium hominis amplissimum, atque omni honore laeque dignissimi mihi peroptatum est: amor tamen tuus multo est iucundior. Sed quod ad postulat illa attinet, quorum tu exemplum mihi mittendum curasti, res mihi ipsa iam pridem fuerat nota. Nam & ille qui illas res per te, diu ante mecum communicauerat: egoq; illi vehemens dissuasor fueram: non minus hercule quietis & vilitatis ipsius, quam publici boni causa. Videbam enim, id quod eerte contigisset, si haec oppida permutasset Pontifex, non sine magno tumultu rem futuram. Sed est minime illius hominis consilia mihi probabantur: tamen quod cogitationes suas commiserat mihi, idemq; imprimis habuerat: cuiusdam religionis officij impediri me arbitrabar, quo illi minus obstarem. Atque ita etiam vincto interpretor: neq; existimo posse me fide integra quippiam sollicitus eum moliri, aut foribere. Illud mihi quidem nouum & mirabile vilius est, eum ipsum Regem, qui illum hominem alieno beneficio ornare conabatur: suis & maiorum suorum beneficiis, quae ab regia liberalitate iam diu erant profecta, eum spoliasse, & praenimulisse. Scito enim duo vel praecipua oppida fuisse illi adempta, & ad Regiam ditionem reuocata, quae ipse & maiores sui tenuerunt. Quamquam haec lex non illi soli proposita est, sed omnibus ad quos quoquo modo Regum beneficia eiusmodi his ducentis annis pertenerant: ut cogantur cuncta restituere, & quicquid illud est, quod ius aut nomen obtineat oppidi, id remittere regi. Quod vnum hactenus tentatum sit, neq; transeat ad sacerdotes. Quod si acciderit, non mirabor, quando qui istuc regnant, nomen fortissimae sacerdotum omnibus modis dilacerandas praebent. Qui enim sancti apud ceteros, & venerabiles esse possunt, si a turribus suis sic despiciuntur? Quod repugnantiam epistoliarum mearum idemq; testimonij, quod ego vnius hominis reprehensionis primam, deinde laudi praebui, excusaris apud summum Pontificem, veramque rationem in excusando adiunxeris: non dici poterit, quam mihi feceris gratum. Nec in eo tamen humanitate solam & benevolentiam erga me vides, sed summa etiam & singu-

Iari sapientia. Nam aut necesse est, si hæc permittitur testimoni
mutatio, eos qui aliquando peccarent, nunquam rectè facere
aut eos qui semel accusando scripserunt, non rebus, sed hominibus
semper inimicos esse. Ego verò hominem quenquam odisse,
nunquam duxi esse sacerdotis. Rebus autem amicum aut inimicum
esse, prout illæ res bonæ malæque sint, arbitror esse hominibus
& Reipub. commodo, & suo officio consulentis. Itaque si (quod
nolim) aliquid accideret eiusmodi, quo mihi denotò testimonium
mutandum sit, non id facere verebor: neque aliquam excusationem
culpam, ubi veritas mecum steterit. Quapropter te vehementer
rogo, ut repetito cum summo Pontifice de his rebus sermone
sententiam hinc animi mei totum illi aperias. Glaucum nostrum
hominem tua benevolentia dignum, quod benignè honorifice
que tractaris: facis tu quidem semper quod virtus postulat tua,
naturæque plena humanitatis ac comitatis. Sed ego totum illud
tributum mihi intelligo, maximasque tibi de eo habeo agoque
gratias: quanquam hoc officio mihi sæpius utendum est, ita de
me assidue insigniterque mereris. Solum ex omnibus tuis dictis
ac factis aliquantum mihi molestum illud fuit, quod meis famu-
liaribus asseruisti, nescio quid te de me, & de honore meo cogi-
tare. Quæso humanissime atque optime Triumvli, an nondum
cognovisti mentem meam, qua ab omni mutatione fortune atque
status nihil est abhorrentius? Vtinam mihi incolumitas hæc ab-
quandiu maneat, qua nunc divino beneficio fruior: cæteris rebus
omnibus sum beatissimus. Nec de beatitudine illa, quæ maxi-
mè meæ professioni conveniret, si essem is, qui esse deberem: sed
de hac humana felicitate loquor. Quid enim mihi abesse potest
iucunditatis ac lætitiæ, qui hac conditione fortunæ in qua sum
positus, summè contentus sum? quin & in animo meo pacem, &
in populis mihi creditis benevolentiam, & in studiis meis admi-
rabilem voluptatem, & in omni parte actioneque vitæ auream
illam mediocritatem & consecutus sum, & quoad licet cõservo.
Noli me, oro, in illos fluctus ex hoc portu revocare, neque mihi
iniicere huiusmodi scrupulos, qui me (mihi crede) admodum
stimulant. Demus potius operam, ut illis præclarissimis honestis-
simisque artibus, in quibus elaboravimus vsque a puero, dignum
laborum præmium immortalitatem consequamur. In quibus
ego te absentem cogitatione mea complector: habeoque iam
paratum locum, ubi fidem illam citò præstem, quam cum Car-
pentoraçte discederes tibi dedi. Ad hæc tu me adiuvæ, & suscipere
causam hanc multò accommodatiorem mihi. Quod facies si me
amavis, & rebus omnibus tuebere, & quod præcipuum omnium
est, meæ tranquillitatis fueris patronus. Vale. Carpentora-
cti, III. Nonas Maij, M. D. XXXII.